



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Quæst. 4. Quænam causæ à restitutione excusent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

debentes per diuturnum aliquod tempus solvere debita non curant, quamvis commodè possint; multas quæ aliter inutiles ac superfluas expensas, & aliquando etiam elemosynas, ac largitiones pias ac inordinatas neglectis creditoribus faciunt.

Quod spectat denique ad restitutionis ordinem, si debitor habeat in bonis tantum, quantum satis est ad hoc creditoribus omnibus satisfaciatis, nullus certus ordo in restitutione necessarius est; dummodo prout tenetur omnibus satisfaciatis, quod si bona ejus ad id minimè sufficiant, communis Theologorum sententia est, debita certè prius solvenda esse quàm incerta; & ex debitis certis prius reddenda esse illa, quæ extant, quorum dominium mansit penes creditorem, ut deposita, commodata, locata, &c. ex debitis autem certis, quæ non extant, prius solvenda illa esse, quæ privilegiata vocantur, ut dos uxoris. &c. exinde illa quæ sunt antiquiora; nam (ut habet regula juris) *qui prior est tempore, potior est jure*; quæ tamen regula exceptionem aliquam recipere potest, ut si creditorum aliquis gravem necessitatem patiatur; tunc enim charitatis ordo videtur postulare, ut illi prius quàm aliis solutio debiti fiat: quæ omnia fusiùs explicata & probata apud Gregor. Valentia Disp. 5. q. 6. de rest. pu. 10. videri possunt.

#### QVÆSTIVNCVLA IV.

*Quanam causa à restitutione excuset.*

**P**RIMA est, creditoris remissio ac debiti condonatio; quæ tamen ut valide excuset, debet esse omnino libera, neque fraude vel metu extorta. Ita Less. Lib. 2. c. 26. dub. 2. Secunda est, cessio bonorum; quæ tamen (ut rectè monet Nav. Cap. 17. du. 86.) non excusat in foro conscientie nisi ratione necessitatis; imò non magis excusat, quàm ipsa necessitas sine cessione excusaret: unde si is, qui bonis cessit, ad pinguiorem postea fortunam redeat, tenebitur integre debitoribus satisfacere.

Tertia



Tertia est, inopia seu necessitas, cum scilicet quis aut nullo modo habet unde restituat, aut si aliquid habet quod restituat, eo tamen indiget ad sublevandam suam necessitatem vel extremam (de qua omnes conveniunt) vel etiam gravem; ita ut, si restituat, status sui decentiam nulla ratione conservare possit. dummodo tamen status ille sit honeste & iuste acquisitus, & creditor æque gravi necessitate non urgeatur. Ita S. Ant. Nav. Sot. & plures alii apud Valent, Sup. pu. 7. Quod si utriusque necessitas esset extrema, posset debitor sibi potius quam creditori consuleri, ut iidem Doctores sentiunt; in extrema enim necessitate qualiscunque res desinit esse alicuius propria, sed sit communis.

Quarta denique causa excusans à restitutione est damnum grave, quod debitor in rebus propriis incurret, ut in vita, libertate, fama, vel in distractione possessionum suarum vili pretio facienda; dummodo tamen creditor simile damnum non patiat, Ita præfati authores, qui rectè observant in proposito subiecto non esse reputandum magnum damnum, quod quis multum debens carebit magna pecuniæ summa, si debitum reddat; aut magno lucro, quod ex ea pecunia posset acquirere; neque etiam cuiuscunque famæ jacturam excusare à restitutione, sed tantummodo illius, quæ viri prudentis ac pii iudicio consideratis omnibus circumstantiis pluris æstimanda censeretur, quàm commodum quod ipsa restitutio afferret creditori.

## SECTIO VIII.

*Explicatur octavum Decalogi præceptum.*

Non loqueris contra proximum tuum  
falsum testimonium.

**H**oc præcepto prohibetur, non solum iniustitia, quæ per falsum testimoniū aut alia quavis ratione in iudicia.